

Papa confirmantur, dicuntur esse de iudicio Papæ, de quo nullus in terris Papa inferior iudicare potest (*Can. 30. nemini, 17. q. 4.*); ergò. Unde nullus pronuntiare potest directè et principaliter, an confirmatio Papæ sit vera vel falsa.—2.º Judex inferior indirectè et incidenter iudicare seu cognoscere potest de rescripto Apostolico (*c. 9. de in integr. rest.*) Nam inspicere et pronuntiare potest, an illud sit vitiosum, ob vel subreptitium (*c. 2. h. t.*), et in casu, quo quæritur, an impetrans sit capax privilegii, de hoc iudex cognoscere potest (*c. 20. de rescr. et c. 5. 6. h. t.*), ubi dicitur non valere confirmatio Papalis, quam quis impetravit, tacendo se Regularem, super prioratu perpetuò possidendo.

300. Q. II. *Quid juris conferat confirmatio privilegiorum?*

R. Si est in forma communi, jus antè quæsitum conservat, roborat, eique auctoritatem præstat, sed nullum novum jus addit (*c. 4. h. t.*); et multò minùs novum tribuit innovatio privilegiorum merè materialis, dum ex causa vetustatis scriptura antiqua in novam mutatur (*cit. c. 4. h. t.*) At si est in forma speciali, novum jus confert, etsi forsàn jus antiquum fuerit invalidum, vel non usu aut usu contrario extinctum. Unde privilegia Regul. per Trid. revocata, si post confirmata sunt in forma speciali, reviviscunt: secùs si in forma communi.

301. Q. III. *Quando censeatur confirmatio fieri in forma speciali, et in forma communi?*

R. 1.º Cùm in instrumento exprimitur plenus tenor et dispositio actus; quia ex hoc infertur, Papam plenè cognovisse de toto negotio, ejusque circumstantiis (*c. 8. h. t.*), vel dum in rescripto ponuntur clausulæ: *ex certa scientia, ex plenitudine potestatis, contraria dispositione non obstante, omnes juris et facti defectus supplentes.* Nam hoc modo Papæ asserenti omnino credendum est, quod supra vel contra jus commune dispenset.—Excipe, nisi confirmatio cum his clausulis expediretur super actu laborante defectu indispensabili de jure naturali aut divino; aut in quo non solet dispensari, nisi specialiter exprimatur; vel nisi sit in præjudicium tertii, hoc tacito; vel super iis, quæ Princeps probabiliter ignorat, uti facta particularia, nisi exprimantur. Barbos. Laym. et alii.

2.º Tunc confirmatio censeatur esse in forma communi, dum nec præmissa est plena negotii cognitio, nec inserta est clausula *ex certa scientia*, aut similis. In dubio videtur standum potiùs pro confirmatione in forma communi, quàm speciali (*arg. c. 1. de const. in 6. et c. 3. h. t.*): tum quia confirmatio in forma communi est propriè confirmatio; tum quia extraordinaria in forma speciali non præsumitur, nisi ex instrumento clarè colligatur; nisi forsàn talis foret, quæ nulli est præjudiciosa, nec contraria juri: com. Reiff. nu. 17. et alii.

SUMMARIA

CAPITULORUM IN DECRETALIUM PRIMO ET SECUNDO

LIBRO CONTENTORUM,

UTILIBUS NOTIS INSPERSA,

Ex quibus non modo quam plurimum Decretalium conciliationes, sed etiam earundem correctiones et respectivæ ampliaciones, tum a posterioribus Decretalibus, tum a sacro Concilio Tridentino et Apostolicis Constitutionibus factæ, sub signo * innotescunt.

LIBER PRIMUS.

TIT. I.—DE SUMMA TRINITATE ET FIDE CATHOLICA.

Cap. 1. *Firmiter.*—De Trinitate et ipsius operibus, de Fide et articulis Fidei.

2. *Damnamus.*—Pater, et Filius, et Spiritus Sanctus, vera unione, non collectiva seu similitudinaria, sunt una essentia, substantia seu natura; quæ substantia non est generans, nec genita, nec procedens, quia illi actus non attribuuntur substantiæ, sed Personis. Nec per hoc in Trinitate concluditur quaternitas. Contrarium sentientes, ut hæretici sunt censendi; nisi ab errore respiciant, et correctioni Sedis Apostolicæ se supponant.

IN SEXTO.

Cap. unicum. *Fidei.*—Spiritus Sanctus æternaliter à Patre et Filio, tanquam ab uno principio et unica spiratione procedit.

IN CLEMENTINIS.

Cap. unicum. *Fidei.*—Fatetur Concilium unicum Dei filium in essentia Dei æternaliter subsistentem, verum corpus humanum assumpsisse de

1 Inn. III. in Conc. Gen. Later. IV.

2 Idem ibid.

S. un. Greg. X. in Conc. Gen. Lugd.
C. un. Clem. V. in Conc. Vien.

Virgine, et in eo passum, et jam mortuum, lancea perforatum, approbans in hoc ordinem quem tradidit Evangelista Joannes.—Reprobat, et hæreticam judicat doctrinam, quæ habet, quòd substantia animæ rationalis, seu intellectivæ, verè et per se humani corporis non sit forma.—Asserens confitendum unum Baptisma, sicut unum Deum et unam fidem, approbat opinionem, quæ habet per illud conferri etiam parvulis, quoad habitum, informantem gratiam et virtutes.— Qui teneantur ad fidei professionem, et quam pœnam incurrant eam omittentes, vide meas additiones lib. I. hoc eod tit. post n. 4. "

TIT. II.—DE CONSTITUTIONIBUS.

Cap. 1. *Canonum Statuta*.—Juris Canonici statuta omnes ligant, et eorum ritu, tam in pronuntiando quàm in decidendo, judicia sunt regulanda.

2. *Cognoscentes*.—Constitutio respicit futura, et non præterita.—Concordat cap. 13. infra. "

3. *Translatio*.—Præcepta legis veteris, translato Sacerdotio, hodie non obligant. Potestas legem condendi et mutandi est penes Vicarium Christi; et quod de uno connexorum statuitur, ad aliud connexum extenditur.

4. *Nam concupiscentiam*.—Omne prohibitum à lege peccatum est, et omne illud, quod sequitur ex eodem.

5. *Ne innitaris*.—Constitutiones decretorum singularibus sunt opinionibus præferendæ.

6. *Cum omnes*.—Non valet Constitutio Collegii in damnum aliquorum et commodum aliorum, cessante rationabili causa.— Vide correctionem Elencho II. n. 4. "—Vel sic: Absque rationabili causa non potest major pars Capituli tollere consuetudinem, utilitatem privatam nutriendo.

7. *Quæ*.—Constitutio laicorum Ecclesiam seu ejus bona non adstringit.

8. *Cum accessissent*.—Dignitas sublata de Ecclesia per statutum Capituli, confirmatum per Papam, ulterius non censetur vacare, nisi per contrarium actum statutum fuerit revocatum.

9. *Cum M.*—Non obstante certo canonicorum numero, etiam per Papam confirmato, providendum est receptis ultra numerum de superexcrecentibus fructibus, maxime si voluntarie per canonicos fuerint recepti.—Quomodo creari possunt canonici supranumerarii, vide Fagn. h. c. n. 6. "

10. *Ecclesia*.—Statutum generale laicorum ad Ecclesias, vel ecclesiasticas personas, vel earum bona, in earum præjudicium non extenditur; nec speciale, etiamsi eorum commodum et favorem concernat.

1 Ex Conc. Melden.

2 Greg. in Regest. lib. 7. Epist. 33. ad Fortunat. Episc. Neapolit.

3 August. in Epist. ad Hebr. cap. 7.

4 Idem Epist. ad Roman. cap. 7.

5 Hieron. in Parab. cap. 3.

6 Inn. III. Senon. Arch. et Ep. Trecen.

7 Idem Episc. Ceneten.

8 Idem.

9 Idem Clugien. Episc.

10 Idem Ab. et Conv. S. Sylvestri.

11. *Ex litteris*.—Pœna simpliciter apposita propter contumaciam, in dubio intelligitur temporalis et non perpetua.

12. *Ex parte*.—Non possunt Canonici sine causa restringere numerum Canonicorum, seu Præbendarum.— Vide moderationem Elencho II. n. 3. "

13. *Quoniam*.—Constitutio futura respicit, et non præterita, nisi in eadem de præteritis caveatur.— Quoad primam partem concordat cap. *Cognoscentes* 2. supra. "

IN SEXTO.

Cap. 1. *Licet*.—Nova Constitutio Principis tollit primam contrariam, quamvis id non exprimat. Speciales consuetudines et statuta rationabilia non tollit, nisi id exprimat.

2. *Ut animarum*.—Statuta Ordinariorum non ligant probabiliter ignorantes. Statutum Episcopi extra suam Diœcesim subditum non ligat.— Prima pars loquitur de sententiis latis sub pœna censuræ, qua non ligantur ignorantes, dummodo ignorantia non sit crassa vel supina, ut in textu. Secunda pars declarat cap. *A Novis* 21. de sentent. excom. "

TIT. III.—DE RESCRIPTIS.

Cap. 1. *Sicut*.—Privilegio generali, secundum jus commune obtento, obstat rescriptum speciale, etiam de eo mentionem non faciens.

2. *Ex parte*.—In rescripto Apostolico subintelligitur clausula: *Si preces veritate nitantur*.—Et si rescriptum prohibet causæ cognitionem, est de falsitate suspectum.— Vide correctionem Elencho I. n. 4. "

3. *Cæterum*.—Si in secundo rescripto per adversarium impetrato non fiat mentio de primo, valet primum et non secundum; aliàs valet secundum; et si primum fuit impetratum communi consensu partium, non valet secundum impetratum per alteram partem, hoc tacito.— Hodie ex Regula 18 Cancellariæ, *de jure quæsito non tollendo*, non sufficit, ut in secundo rescripto fiat mentio de primo cum illius qualitibus, sed ulterius requiritur, ut nominatim eidem Regulæ derogetur.

4. *Inter*.—Si Papa mandat in rescripto de duobus inquiri alternative ad certum effectum consequendum, sufficit alterum probari.

5. *Si quando*.—Is, ad quem rescriptum Papæ dirigitur, debet illi parere, vel causam rationabilem assignare, quare parere non potest.— Prælati impediens executionem rescripti Papæ, privantur jurisdictione per tres menses ex Constit. Martini V.: *Quod antidota*. Alii verò incurrunt excommunicationem et interdictum ex Constit. Alexandri VII. *Romanus*. Et ex Constit. Leonis X *In supremo*, declarantur nulla quæcum-

11 Idem Univer. DD. Parisiis common.

12 Honor. III. Episc. et Cantori Cabi-

13 Greg. IX. Archipresbyt. S. Mar-

1 Bonif. VIII.

2 Idem.

1 Alex. III. Senonen. Archiep.

2 Idem Cantuariensi Archiepisc.

3 Idem Nuitonen. Episc.

4 Idem Eboracen. Archiep.

5 Idem Ravennati Archiep.

que acta contra executionem ejusdem Rescrip. Lata est etiam excommunicatio in Bulla Cænæ c. 26. "

6. *Cum ordinem.*—Cistercienses sunt privilegiati, quod non possint conveniri per rescriptum Papæ, nisi in eo fiat mentio de eorum Ordine.

7. *Eam te.*—Si sede vacante scribitur Capitulo, ut gerenti vices Episcopi, ut præbendam alicui conferat, si creatur Episcopus, nondum exequuto mandato, et ad eum spectet collatio præbendarum, illud adimplere tenetur.—Cum hæc decretalis sit valde involuta, vide Fagnan. hoc eod. c. et correctionem Elenchò II. n. 4. "

8. *Ad aures.*—Non valet rescriptum impetratum ad beneficia, si in eo tacetur dignitas impetrantis.

9. *Si autem.*—Valet secundum rescriptum impetratum ab adversario, licet non faciat mentionem de primo, si primus impetrans dolo vel negligentia non fuit usus illo.

10. *Ad hæc.*—Non valet rescripta per quæ incerti Judices dantur, vel futura negotia committuntur.

11. *Ad audientiam.*—Falsa latinatas vitiat rescriptum Papæ.

12. *Ex parte.*—Contra secundum rescriptum non potest oponi de taciturnitate primi impetrati per appellantem, de sua appellatione non habita mentione.

13. *Sciscitatus.*—Rescriptum, quo scribitur pluribus cum clausula: *quod si non omnes etc.*, intelligitur tam de impotentia facti, quam juris.

14. *Pastoralis.*—In quæstione revocationis rescriptorum recurritur ad Arbitros, si Judices in cognitionem sibi non deferant, nec invicem concordent.—Per generalem clausulam positam in rescripto, Delegatus ante expressionem personarum vel rerum, jurisdictionem habet in habitu, et non in actu. Et speciales litteræ derogant litteris generalibus super non specificatis in eis, quamquam de illis nullam faciant mentionem.

15. *Sedes.*—Per generalem clausulam: *Quidem alii, et res alia,* multitudo effranata non includitur, nec personæ nec res majores expressis, sed pares vel minores.

16. *Ex tenore.*—Qui contra unum super eodem ad diversos Judices diversa rescripta impetrat, et eis utitur, perdit commodum utriusque.

17. *Cum adeò.*—Non valet rescriptum ad beneficium impetratum, de beneficio impetrantis non faciens mentionem.

18. *Causam.*—Ordo rescripti interpretationem recipit à jure com-

- 6 Alex III. Fratib. ou Abb. Monast.
Cistercien. de Cumir.
7 Idem Tornacen. Episc.
8 Lucius III. Episc. Linconien.
9 Idem Norvicen. Episc.
10 Idem.
11 Idem.
12 Clem. III.
13 Cælest. III.

- 14 Innoc. III. Elien. Episc.
15 Idem Senonen. Archiep.
16 Idem R. Cantori et R. Priori de
Monte Leprofor. et L. de Sagio
Canon. Rhotomag.
17 Idem Mediolan. Archiep.
18 Idem electo Decano, et N. Canon.
Cameracen.

muni.—Sed quando agitur de jure quæsito non tollendo, attendenda est Regula 18 Cancellariæ, juxta notata cap. 3. supra. "

19. *Constitutus.*—Non valet impetratio in Ecclesia numerata, non facta de numero mentione, si per eam frangitur numerus Canonico-rum, licet non frangatur numerus præbendarum; et processus inde factus est nullus.

20. *Super.*—Exprimens falsum vel tacens verum in rescripto, si malitiosè, caret prorsus impetratis; sed si per simplicitatem vel ignorantiam, aut obtinisset vero expresso et suppresso falso, saltè litteras in forma communi, Delegatus procedat servato juris ordine, et non speciali forma rescripti: secus si nullo modo litteras habuisset.—Vide explanationem in Auctore hoc eod. tit. n. 49. "

21. *Edoceri.*—In causa Monasterii convenitur Abbas per rescriptum, in quo nulla fit mentio de Conventu, nec propter hoc appellari potest, nisi Abbatis et Conventus bona essent distincta omninò.—Circa Monasteria commendata, in quibus bona sunt distincta, vide Constit. Gregorii XIII. *Suprema* §. 9; et an Commendatarii possint se immiscere in concernentibus regularia Instituta, vide Constit. Innoc. X. *Pastoralis*. "

22. *Cum dilecta.*—Processus factus per litteras subreptitias irritatur sed factus contra formam rescripti irritus nuntiatur.

23. *Plerùmque.*—Valet secundum rescriptum, licet de primo non faciat mentionem, quo uti noluit impetrans intra annum.

24. *Cum contingat.*—Si à Delegato aliquid mandatur Ordinario, debet humiliter exequi. Sed si alius Delegatus per alias litteras post executionem mandat contrarium, vel si ante executionem innotuerit Ordinario, inter Delegatum, qui mandavit, et alium contentionem esse de jurisdictione, faciat sibi utrarumque litterarum copiam exhiberi, non ut jurisdictionaliter cognoscat, sed ut se informet, an per secundas revocentur primæ. Et si primæ revocentur, exequatur secundum mandatum. Si autem non revocentur, vel de hoc dubitet, non exequatur secundum mandatum, donec contentio de jurisdictione terminetur.

25. *Olim.*—Quando in rescripto plura narrantur diversos effectus operantia, non sufficit impetranti alterum solum probare ad utrumque effectum consequendum.

26. *Dilectus.*—Non valet rescriptum super restitutione beneficii impetratum, quod de causa excommunicationis et amotionis impetrantis non facit mentionem.

27. *Postulasti.*—Per litteras justitiæ non tenetur Episcopus provide-re habenti perpetuam Vicariam, vel sufficiens patrimonium. Nec va-

- 19 Idem Archiep. Senonen.
20 Innoc. III. A. Canonico S. Hilarii
Pictavien.
21 Idem Abbati, et Conventui Præ-
monstraten.
22 Idem Archiep. et Magistro V. V.
Canon. Magdeburgen.

- 23 Idem.
24 Idem Rotomagen. Archiep.
25 Idem G. de Vallibus, et Magist. G.,
et P. de Firmis. Canon. Lundu-
nens.
26 Idem Episc. Imolen.
27 Idem Episc. Uratisinen.

lent litteræ gratiæ ad beneficium obtinendum, in quibus impetrans tacuit perpetuam Vicariam.

28. *Nonnulli*.—Per litteras Apostolicas de hac constitutione mentionem non facientes non potest quis trahi ultra duas dietas extra suam diocesim, nisi de consensu partium litteræ fuerint impetratæ.— Vide correctionem Elencho I. n. 2. — Non valent litteræ ad lites impetratæ sine speciali mandato Domini, nisi impetrentur per conjunctam personam.

29. *Dilectus*.—Si occasione duorum rescriptorum, unius scilicet in causa principali, alterius in causa appellationis contenditur, non Judex super principali, sed Deputatus super appellatione cognoscere debet de validitate appellationis.— Vide correctionem Elencho II. n. 5. "

30. *Capitulum*.—Si plures impetrant in eadem Ecclesia, statur datæ, ut primus impetrans præferatur, et solus admittatur.— Vide correctionem Elencho II. n. 6. "

31. *Ad Audientiam*.—Si habens litteras Papæ ad beneficium, eis propter annuam pensionem renuntiat, non valent litteræ beneficiales per eum, hoc tacito, impetratæ. Id est, *tacito* de hujusmodi renunciacione.

32. *In nostra*.—Receptus per litteras Apostolicas, licet præbendam expectet per alias litteras hoc supprimentes, in alia Ecclesia recipi non debet.— Vide correctionem Elencho II. n. 7. "

33. *Ex parte*.—Non valet rescriptum, quod Procurator revocatus et de hoc certificatus extra judicium impetravit: secus tamen si in judicio; dummodò revocatio ad notitiam adversarii vel Judicis non pervenerit.

34. *Significante*.—Rescriptum impetratum contra hominem alicujus diocesis, non extenditur ad hominem ejusdem nominis alterius diocesis.

35. *Rodolphus*.—Per rescriptum impetratum contra homines diocesis, non possunt conveniri homines civitatis.

36. *Significavi*.—Si conveniendus per clausulam *moriatur re integra*, successor conveniri non potest.

37. *Ex insinuatione*.—Non valent litteræ exequutoriæ, in quibus impetrans falsò dixit monitorias præcessisse.

38. *Mandatum*.—Cessantibus clausulis, in dubio Papa non intendit gravare eundem collatorem super provisione duorum; ideo secundus impetrans repellitur, sive primus expectet, sive sit jam gratiam consecutus.— Vide correctionem Elencho II. n. 8. "

39. *Litteris*.—Ecclesia, in qua Papa primus dedit monitorias, et secundus (*intellige Papa successor*) exequutorias; per primum, non per secundum intelligitur gravata.— Vide correctionem Elencho II. n. 9. "

28 Idem in Conc. gener.

29 Honor. III. Cantuar. Archiep.

30 Idem Episc. et Archidiacon. Legion.

31 Idem Bituricen. Archiep. Apost. Sed. Legat.

32 Greg. IX. Mediol. Archiep.

33 Idem Episc. Sylvanecten., et Abb. Caroli loci.

34 Idem Decan., et Magistr. G. Canon. Leodic.

35 Idem. Priori S. Laudinen. et Suecentori Rhotom.

36 Idem Ab. S. Jacobi.

37 Idem Abbati S. Victor.

38 Idem Noviom. Episc.

39 Idem.

40. *Abbatem*.—Diocesanus, cui scribitur, ut in diocesi sua, ubi pro alio scriptum non est, provideat vel faciat provideri, non potest id exequi circa beneficium spectans ad collationem alterius jam pro alio gravati.— Vide correctionem Elencho II. n. 40. "

41. *Ab excommunicato*.—Per rescriptum directum excommunicatori, ut absolvat excommunicatum, si contra Concilium eum excommunicavit, datis exequutoribus, qui eo non parente exequantur, non excommunicatori, sed exequutoribus cognitio demandatur.

42. *Si proponente*.—Si impetrans rescriptum ad beneficium, dixit se non beneficiatum, cum tamen haberet beneficium, licet exiguum, non valet rescriptum.

43. *Quia nonnulli*.—Abutentes rescripto Apostolico in sequentibus casibus privantur commodo rescripti, et condemnantur in sumptibus et damnis adversarii:—1.º Si quis rescriptum nomine suo obtentum alteri ejusdem nominis tradit.—2.º Si vi rescripti obtenti trahit ad judicium illum, contra quem nullam habet quæstionem.—3.º Si rescriptum extendit ad negotia tempore obtenti rescripti nondum exorta.—4.º Si trahit reum ad diversos Judices super uno negotio.—5.º Si super pluribus personalibus actionibus coram diversis delegatis trahit eundem reum.—6.º Si reus eodem tempore trahit actorem ad diversa loca, vel indeterminatè ad locum habentem commune nomen cum pluribus aliis.— Vide ampliacionem infra cap. *Dispendia* 3.

IN SEXTO.

Cap. 1. *Ipsa jure*.—Rescriptum impetratum ab excommunicato est ipso jure nullum, et inde sequutum, nisi impetratum fuerit super articulo excommunicationis vel appellationis.

2. *Cum in multis*.—Per clausulam *Quidem alii*, possunt soli quatuor conveniri, quorum nomina in primo citatorio exprimantur, ne variationi sit locus.— Intellige, quando delegatur inquisitio ad preces illius, qui passus est injuriam ab aliqua persona nominatim expressa, et ab aliis, sed nominatim non expressis.— Hoc Cap. ampliavit c. *Quia nonnulli* 43, supra, quoad nullitatem processus, et quoad reum favore actoris, ut Glos. verb. *Ampliantes*.

3. *Dispendia*.—Si actor contra reum super pluribus actionibus personalibus litteras impetrat ad diversos, non valent litteræ, nec processus earum, et reo condemnabitur in expensis: et idem in reo conveniente, vel reconveniente actorem, eodem durante judicio.— Secus in realibus, pro quibus impetrari possunt litteræ ad diversos Judices, si res sunt ad invicem remotæ; sed circa hoc hodie attendendum est cap. *Statutum* 11 infra, quando reus trahendus est ultra unam dietam."

4. *Cum aliquibus*.—Receptus per litteras facultatis, si ad recipien-

40 Idem.

41 Idem.

42 Idem.

43 Idem Episc. Parisien.

1 Idem.

2 Innoc. IV. in Conc. Lugdunen. an. 1245. in Gallia.

3 Idem in eodem.

4 Bonifac. VIII.

tes spectabat receptio, ipsorum et non Papæ auctoritate intelligitur esse receptus, nisi in litteris aliud esset expressum. Si autem receptio non spectabat ad eos, tunc Apostolica auctoritate dicitur receptus.

5. *Si gratiosè.*—Rescriptum papale, quod concedit promotæ retentionem primorum beneficiorum usque ad beneplacitum Papæ, extinguitur mortuo Papa: secus si ibi dicatur, usque ad beneplacitum Apostolicæ Sedis; nec intelligitur tale rescriptum de beneficiis prius non canonicè detentis.

6. *Susceptum.*—Vacatio per mortem, et vacatio per renunciationem sunt diversæ, et ideo in litteris ad beneficia impetratis, uno expresso, non venit reliquum.

7. *Gratia.*—Licet ignorans beneficium sibi collatum, in impetratione alterius illius mentionem non fecerit, valent litteræ, alterum tamen eliget, si de jure simul teneri non possint.

8. *Quamvis.*—Si restituatur quis ad gratiam revocatam, sine alterius præjudicio intelligitur restitutus, unde alteri ante restitutionem impetranti præferri non debet.

9. *Si eo tempore.*—In litteris ad beneficia impetratis inspicitur tempus datæ, unde per illas beneficium curatum obtinere non poterit, qui licet nunc sit major ætate, tamen tempore, quo beneficium curatum vacavit, minor erat.—Vide notata supra, cap. *Capitulum* 30. in Greg. "

10. *Si propter.*—Gratia generalis non præjudicat speciali, et debet facere mentionem de præcedenti privilegio, consuetudine, vel statuto.

11. *Statutum.*—Causæ ab Apostolica Sede, vel ejus Legato committi debent dignitatibus, vel canonicatum Ecclesiæ cathedralis; nec tractari debent, nisi in civitatibus vel locis insignibus.—Vide ampliationem Elencho III. n. 1. et innovationem Elencho IV. n. 1. ac notata Elencho VI. n. 111.—Actore et reo ejusdem diœcesis existentibus, causa committi non debet extra illam, nisi in sex casibus, in quibus tamen reus non trahetur ultra unam dietam; et nisi in duobus ultimis casibus impetrans per juramentum fidem fecerit de illis, repellitur à Judice, et in expensis condemnabitur.—Casus sunt:—1.º Quando actio dirigenda est ab Episcopo contra aliquem de sua diœcesi;—2.º vel ab aliquo contra eundem Episcopum;—3.º vel contra ejus Capitulum;—4.º vel contra Universitatem Civitatis, Villæ vel Castri;—5.º si actor non audeat civitatem vel diœcesim intrare;—6. si hoc adversarii potentiam probabiliter perhorrescens eum securè nequeat intra diœcesim convenire.—Actor contra reum diversæ diœcesis debet impetrare delegatum, vel in diœcesi rei, vel in alia non propria, nec ultra unam dietam distante.—Delegatus extra locum commissionis, nec partes citare, nec causam cognoscere potest sine expresso partium consensu, nec subdelegare locis, vel personis aliis,

5 Idem.
6 Idem.
7 Idem.
8 Idem.

9 Idem.
10 Idem.
11 Idem.

quàm supra expressis.—Delegatus nihil debet à partibus recipere, nisi excellentum et poculentum liberè oblatum, quod paucis possit consumi diebus, vel moderatas expensas, si non sint pauperes, quando pro necessitate, vel utilitate non malitiosè extra domicilium pergeret.—Quamvis textus loquatur de delegato Papæ, procedit tamen etiam in delegatis Ordinariorum Cap. *Cum ab omni*. 10. de vit et honest. Cleric.—Delegatus, nisi indigeat, non assumat assessorem, aliàs de suo illi provideat. Si eget, non suspectum partibus assumet, cum moderato salario à partibus solvendo.—Delegatus taxare debet salarium notariorum, nec participare debet cum ipsis vel assessoribus in salario.—Delegatus recipiens aliquid contra prohibitionem hujus capituli tenetur restituere, non obstante dantis remissione.—Delegatus non debet vocare testes, nisi statu causæ requirente, et producens illis administrare debet expensas in veniendo, stando et redeundo.—Gesta contra hanc Decretalem sunt ipso jure nulla.

12. *Tibi.*—Sola præventa præsentatio, et receptio in canonicum secundi impetrantis in eadem Ecclesia, non excludit primum impetrantem à præbenda vacante tempore suæ receptionis, vel post à vacante ante suam receptionem vel præsentationem; et hoc si per processum executionis, vel interpositionem decreti pro primo impetrante affecta extiterat, nisi dolo vel negligentia excluderetur ab eadem.—Vide correctionem Elencho II. n. 11. "

13. *Si pro te.*—Si primo sub conditione provideri mandatur, et secundus purè impetrans, prius quàm venit conditio à Papa, vel exequutore suo canonicatum obtineat in assequutione præbendæ, primo præfertur.—Vide correctionem ut supra. "

14. *Duobus.*—Statuit quomodo procedendum sit, quando interduos impetrantes eadem die litteras super provisione simili eis facienda, non apparet prioritas impetrationis.—Vide correctionem Elencho II. n. 12. "

15. *Quia.*—Omnes indulgentiæ concessæ à Bonifacio, vel suis prædecessoribus, Clericis de percipiendis perpetuo fructibus suorum beneficiorum in absentia, sunt revocatæ, et profitetur Papa, se illas in posterum non daturum.

IN CLEMENTINIS.—Ibi tit. II.

Cap. 1. *Abbatibus.*—Major prælatus pro prioratibus, aliisque locis sibi subjectis, etiam si sint de mensa, reum convenire non potest per rescriptum Apostolicum, nisi ubi possent administratores membrorum. Contra faciens in expensis et interesse punitur, et processus est irritus.

2. *Etsi.*—Principalis officialis Episcopi, et Prior conventualis, licet obedientiarius, delegari possunt à Papa; officialis verò foraneus, vel Prior claustralis, non.—Vide ampliationem Elencho III. n. 2. "

3. *Auditor.*—Auditor in Romana Curia deputatus à Papa, de beneficio,

12 Idem.
13 Idem.
14 Idem.
15 Idem.

1 Clem. V. in Conc. Vien. an. 1312.
2 Idem ibid.
3 Idem ibid.

quod pronuntiabit alicui de jure fore debitum, poterit sibi absque commissione alia, ut evitetur circuitus, providere.

4. *Gratiæ*.—Expectans beneficium, perdit gratiam, si consequitur aliud, quod cum illo, quod expectat, de jure tenere non potest.— Vide correctionem ut supra, Cap. *Tibi* 12. "

5. *Litteras*.—Gratia super vacaturo non comprehendit beneficium post datam in substantia creatum.— Vide correctionem Elencho II. à n. 6. ad 12. circa mandata de providendo beneficia vacatura. "

TIT. IV.—DE CONSUETUDINE,

Cap. 1. *Consuetudines*.—Consuetudo inferens gravamen Ecclesiis, debet Judicis officio tolli.— Circa qualitatem gravaminis, quæ remittitur Judicis arbitrio dijudicanda, attendenda est Constit. Urbani VIII. *Romanus Pontifex* 5. Jan. 1644, sicut et in quibuscumque consuetudinibus Ecclesiæ præjudicialibus.

2. *Ex litteris*.—Ex consuetudine potest induci actus, sive solemnitas, per quam sine apprehensione realis transfertur possessio rei absentis.

3. *Ad nostram*.—Non valet consuetudo, ut in causis ecclesiasticis dictum populi pro sententia teneatur.

4. *Quanto*.—Consuetudo non potest operari, ut Clericus non Episcopus possit exercere ea, quæ sunt reservata ordini episcopali.— Vide ampliationem Elencho III. n. 3. "

5. *Cum inter*.—Non valet consuetudo, per quam interdicti sententia violatur.

6. *Cum olim*.—In attribuendis officiis novæ dignitati servatur consuetudo vicinarum civitatum, quæ si diversa fuerit, servabitur magis rationabilis, et alii non præjudicans.

7. *Cum venerabilis*.—Non potest induci ex consuetudine, ut quis possit dimittere dignitatem sine Superioris licentia, vel ut possit electus administrare, non habita confirmatione à Superiore.

8. *Cum dilectus*.—De consuetudine potest induci, quod una Ecclesia de gremio alterius teneatur sibi Prælatum eligere. Et consuetudo est optima legum interpretis.— Ex Clement. I. de Elect. et cap. *Abbate de Verbor. signific.*, Monachus diversæ Religionis, et quidem sub pœna nullitatis. "

9. *Cum consuetudinis*.—Capitulum sine Episcopo statuta seu consuetudines novas facere, vel antiquas immutare non potest.

4 Idem.

3 Idem.

1 Greg. I. in Regest.

2 Innoc. III. Archiep., et cap. Lugd.

3 Idem Episc. Patavien.

4 Idem Luc. Vic. Papæ apud Constantinop.

5 Idem Decano, et Cap. Cenoman.

6 Idem Episc. Helien.

7 Idem Convent Corbien. Monaster.

8 Idem Decano Salestrien, A. Archidiacon., et Magistro P. Pulveril. Canon. Parisien.

9 Honor. III. Papien. Cap.

10. *Ex parte*.—Non valet consuetudo, per quam quis inducitur ad peccandum, vel bona propria dissipandum.

11. *Cum tanto*.—Consuetudo non derogat juri naturali, seu Divino, cujus transgressio peccatum inducit; nec positivo, nisi rationabilis et præscripta.

IN SEXTO.

1. *Consuetudinem*.—Prætextu consuetudinis, etiam juratæ, vel quantumque tempore observatæ, non potest quis, nisi unicum personatum, dignitatem, vel aliud perpetuum officium simul cum canonia et præbenda in aliqua Ecclesia absque dispensatione obtinere, vel jam obtenta tenere, et contra præsumptum irritum est omnino.— Concordat Trident. sess. 7. cap. 2. et 4. et sess. 24. c. 17. de refor. et Extravagan. Joan. XXII. *Execrabilis* §§. *Si vero*, et *Quæ omnia* lib. III t. V.

2. *Non putamus*.—Non valet consuetudo, quod ab Officiali Episcopi ad Episcopum appelletur.

3. *Non est*.—Valet consuetudo præscripta, quod Episcopus in inquirendo, puniendo et corrigendo subditorum excessus sui Capituli consilium requirere non teneatur.

4. *Cum in tua*.—Per rescriptum Apostolicum, quod præbenda primo vacatura mandabatur alicui provideri, laudabilis illius Ecclesiæ consuetudo non tollitur. Hinc est, quod si ibi est consuetudo, quod antiquiores Canonici vacantes præbendas possint optare gradatim, illo non obstante mandato, poterit antiquior vacantem optare præbendam, et expectatis per viginti dies optare volentibus; exequitor de non optata providebit eidem. Si autem præbendam vacantem in Curia Papa conferret, tunc illam antiquior optare non poterit.— Vide correctionem Elencho II. n. 3. "

IN EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS.—Ibi tit. I.

Cap. unic. *Super*.—Consuetudo impediens, ne Legati Sedis Apostolicæ recipiantur, non valet; et illa non obstante, Legati ipsi sunt ab omnibus recipiendi; et eos impediens, ipso facto excommunicationem incurrunr, et eorum terræ ecclesiastico subjiuntur interdicto.— Istâ excommunicatio est Papæ reservata ex *Bulla Cœnæ* §. 11. et 16. "

TIT. V.—DE POSTULATIONE PRÆLATORUM.

Cap. 1. *Ad hæc*.—Impostulabilis est, qui violat interdictum.

2. *Gratum*.—Qui postulationem non admissam à Papa vitio personarum iterum nititur postulare, est eligendi et postulandi potestate privatus.

10 Idem. Major, et Burgen de Ru-

11 Greg. IX.

1 Bonif. VIII.

2 Idem.

3 Idem.

4 Idem.

Un. Joan. XXII. Avenion.

1 Innoc. III. Decano, et Cap. Senonon.

2 Idem Hostien. Episc. Apost. sed.

Leg.